

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)



nihil præter te requiro. Sentiat, obsecro, anima mea præsentia tua dulcedinem. Transeat mens mea cuncta sensibilia, figatq; oculos suos in te inestimabili ac summo bono meo, in quo solo conquiescere, in quo solo delectari cupio.

Verum o Domine Deus! non solum sum in te, sicut piscis in mari, sed etiam sicut infans in utero, ideo serua me. Sum in te velut pupilla in oculo, ah custodi me. Sum in te velut avis in aëre, sustenta me. Tu quoq; mi Deus es in me velut anima in corpore; ah vivifica me: velut magister in schola; doce me: velut sol in celo; illumina me: velut Deus in templo; sanctifica me: præterea totus es oculus, omnia mea etiam cordis abscondita perscrutans: totus amor me intime complectens: totus bonitas mihi summe benefaciens. O quid rependam iam vigili anime meae inspector, amator, benefactor? En totum me tibi trade, suscipe me Domine Deus, suscipe me totum in pignus perpetui mei erga<sup>te</sup> amoris et gratitudinis.

### Caput XIII.

#### Continuatio earundem aspirationum.

O Domine Deus meus video te meipso mihi intimiorern esse; nam sæpe anima mea hæud sibi præsens est, ac sui ipsius oblita, alio festus; at tu Domine Deus meus nunquam mei obli-  
visceris, sed perpetuo mihi intentus observas omnes motus cordis mei, intelligis omnes cogitationes mentis meae, dirigis omnes actus meos, ac

+ Hoc sic intellige, ut sicut anima corpori vitam tribuit, ita peniter anima in Deo, et a Deo vitam recipiat.



in fundo animae meae veluti delitescens operaris  
omnia: Imo, quod plus est, omnibus poene me-  
mentis offers de totum mihi; cupis enim, ut de  
iugiter fruatur, et ulnis animae meae te complectar,  
atq; inter dulces amplexus tuos feliciter ob-  
proverb. 8. dormiam, et requiescam; deliciae namq; tuae sunt  
esse cum filiis hominum. O quanta tua pie-  
psalm. 138. tatis dignatio! quanta amoris tui benevolentia!  
Quid est homo, quod memores eius, aut filius  
hominis, quonia visitas eum? O Deus pra-  
sentissime, uni me tibi intime, immergo me  
O Deus in te, suscipe me, ut conquiescam in te.  
2. O quam suavis et dulcis haec fidei meae veritas.  
Ego in Deo, et Deus in me! O quis ille? et  
quis ego? Deus meus et est Rex saeculorum  
Dominus summae Maiestatis et excellentiae,  
Altissimus, incomprehensibilis, omnipotens, et  
eternus. coelum et terram, ac caetera omnia de  
nihilo creavit, creataq; conservat, regit, et  
moderatur sine labore. Magnitudinis, sapien-  
tiae, dignitatis, ac gloriae eius non est finis.  
Ego vero vilissimus vermis sum, peccator im-  
mundus, et indignus quem terra sustineat, pul-  
vis ac cinis, pauper et inops, infirmus et miser.  
Nihil possum, nihil habeo, nihil sum ex me.  
Nihilominus: O inaudita bonitas tua! tu dig-  
naris spe in me, et dignu me reputas, ut sum  
in te. O Deus invisibilis mihi tamen intime  
praesens adoro te devotissime, et me in abyssu  
nihili mei in conspectu maiestatis tuae demergo.  
Te complector in intimis animae meae visceribus



Tu mihi sis instar omnium, et super omnia, quia  
tu solus es omne bonum meum, Deus cordis mei, et  
pax mea Deus in aeternum.

Itaque si licet adhuc miser, attamen intra me  
possideo bonum immensum, quod suo tempore me  
feliciter beabit. Si tenebris involutus, at intra  
me habeo splendidissimam lucem, qua me copio-  
sissime illuminabit. Si modò languidus, et fri-  
gidus, sed in me est ignis infinite virtutis, qui me  
ardentissime inflamabit. Si tristis et afflictus;  
at intra me habeo omnis boni, omnis pulchri  
omnis delectabilis et desiderabilis plenitudinem, et  
immensam ~~quantitatem~~ se in me transfundere para-

q. bonitatem.

tam. O Domine Deus! cur non pro gaudio  
exulto, dum hac considero? Adhuc enim modicum  
et immensum illud bonorum pelagus in anima  
mea exundabit, itaque dulcedinis sua, et omnium  
gaudiorum suorum participem faciet. Domine  
Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in Te.

psal. 83.

Caput XVIII.  
Aspirationes ad Deum ob  
eius aeternitatem.

Ut aliquid sit aeternum, initio ac fine caret, o-  
portet: talis es o magne Deus, cum nullum initium  
durationis tuae in te invenire valeamus; si enim  
millia millium, et decies centena millia seculorum,  
et quicquid amplius durationis mente concipi po-  
test, recogitemus, ante omne illud tempus, o Do-  
mine Deus, tu es, itaque in infinitum duratione  
procedis. Sed neque finis durationis tuae erit unquam